

244

242

248

omni detimento fidei potest pie credi. Dum Venus Cyprorum regina et dea pudicitia abnegata diversos admitteret amatores, Martem deum belli se amantem adulterum admisit, qui zelotypus erga eam factus currum junxit, et cum Bellona sorore auriga sua hyperboreos montes adiit ibique fugatis et captis gryphonibus saxum grande de monte jaspidis evulsit, sed et Bellona ibi crystallinum clipeum sibi ademit, et currui imponentes Arimaspos autem sive Cyclopes captivatos currum trahere cum saxis gemmaticis coegerunt, sieque in insulam Veneris venientes Jaspidem ad cubile Veneris posuerunt, quo ejus intemperata luxuria cohiberetur et fervor refrigeretur. Porro Venere translata per mortem non poterant aliquam ei consignare imaginem nec idolum fabricare, unde jaspidem illum sic impolitum et informatum in templo Veneris loco idioli erexerunt. Ideo Virgilius scribit, simulacrum Veneris nullam humanam habuisse effigiem.

Porro tempore Domini nostri Jesu Christi inter alios gentiles volentes videre Jesum, ut habetur Johannis 12, 4., erant etiam quam plures Cypri mercatores, qui frequentes in Syria erant propter propinquitatem Cypri et Syriae. Hi ergo Cyprii audientes Dominum Jesum praedicantem et miracula facientem, crediderunt et ingratitudinem Judaeorum plurimum exsecrantes rogarerunt eum, ut in Cyprum cum eis navigare dignaretur et illi populo beneficia praestare. Quibus respondit sicut et Abgaro regi Edessanae urbis sibi per litteras mandante ut ad se veniret, quod ante omnia crucem et mortem eum operteret pati et tertia die resurgere et post haec suos discipulos vellet mittere eis. Illi ergo cum Cyprum remeassent et ea, quae viderant et audierant, populo narrassent, invidiamque Judaeorum contra eum ejusque instantem crucifixionem timebant, ne forte corpus crucifixi sicut alia corpora damnatorum (155 a) abjiceretur a Judaeis, consilio ergo inito miserunt quosdam in Jerusalem, qui tollerent corpus Jesu et navgio imposito ducerent illud in Cyprum. Ingressi ecclesiam Veneris templum saxum jaspideum Veneris simulachrum dejecerunt, et ex eo tumbam Domino Jesu formaverunt. Domino autem mortuo et cum honore sepulto quieverunt Cyprii, et tumbam illam reservaverunt usque in hodiernum diem, nec eam umquam alicui vendere voluerunt, nec aliquem in eam locaverunt, eo, quod Christo Domino dedicata fuerit. Et illa fuit forte causa,

